



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.8. Nova Christi proditio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

nus: Quid ad hac respondemus, fratres charissimi? Sacrilegâ sterilitate, quadam tenebrarum nocte coopertas divitum mentes quâ ratione defendimus? quâ excusatione purgamus? qui diaboli servis minores sumus, ut Christo pro pretio passionis & sanguinis, vicem nec in modicis rependamus?

§. 7. Christum rursus agit in Crucem.

Heu me! nova plaga, peior, immanior. Dixi te dejicere crucem, mortem obliterare. Non dejicis; sed erigis. Non obliteras; sed innovas. Venditur rursus, spernitur, deseritur, abnegatur, flagellatur, spinis redimitur. Barabbæ postponitur, ostentui habetur, crucifigitur. Cain, ubi est frater tuus? quid fecisti? negasne vidisse? aut à te tam barbarè trucidatum? at ejus sanguis apud Augustinum (Serm. 181.) clamat. *Gravior apud me peccatorum tuorum Crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa, in quam tui misericors ascendi.* Clamat apud Bernardum: *Cur addimus afflictionem afflicto? magis aggravant Christum vulnera peccati nostri, quàm Vulnera corporis sui.* Causam requiris? in Cruce homo tantùm patitur; in peccato etiam Deus.

§. 8. Nova Christi proditio.

Ego te si Judam proditorem, si Pilatum,
si

si Caipham dixissem, appellares ad præto-
rem injuriæ. Dicit non vis, & esse festinas.
Quoties prodidisti? ne pro triginta quidem
denariis. Et illi quidem per inscitiam; tu
Christi, tu Dei in Christo non ignarus. Non
ne ubi plus gratiæ, plus est sceleris? ubi
plus notiæ, plus est nequitia? *Minus pec-
caverunt Judæi, inquit Augustinus, (In Psal.
68. conc. 2.) crucifigentes in terra ambulan-
tem, quàm qui contemnunt in celo sedentem.*
Ego te certè, qualem voles, dicam. Sed te, si
peccas, meque Anselmus etiam diabolo ne-
quiores facit. *Quia Diabolus, inquit, per-
sistit in malitia, Deo reprobante; ego verò,
Deo revocante. Ille obduratur ad punientem;
ego ad blandientem: Et si uterque contra De-
um, ille contra non requirentem se, ego contra
morientem pro me. Ecce cujus imaginem hor-
rebam, aspicio in me horribiliorem.*

Summa Capitis secundi.

Age nunc collige summam, si vales. 1. Of-
fenditur Deus, & Deus immensus, & mise-
ricors, & vindex. 2. Et in oculis. 3. Et tantâ
cum atrocitate, ut etiam perditum opti-
mum parentem velimus. 4. Largitorem
bonorum omnium; quo ne peccando qui-
dem carere possimus. 5. Id verò quia ta-
ceat